Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1895
Quelle:
Copyright:

mati, Timentes contempni ſolent ſtare ornati et parati, vt ſint quaſi lucidi. Non ſane inepte.

II. *fol.* 14. p. 2. *Incipiunt moralitates ſecundum ordinem alphabeti.* Ita: *Ambulatio. Sicut in corporali ambulatione ſic et in ſpirituali oportet quod homo aduertat de via, de comitatu, de fine* &c. Sequitur *Amicicia, Aduentus, Aſpicio, Aqua* &c. ad numerum 145. brevium Documentorum, quorum poſtremum *Vocare.* Monent haec *Figurarum,* ſeu *Moralitatum Biblic. Antonii de Rampigollis.*

III. *fol.* 26. *Incipiunt libri Biblie ſecundum Ordinem.* Ponitur e quovis Libro locus, ex eoque breve Documentum eruitur. Ita: *Geneſ.* 18. *Afferam pauxillum aque et lauentur pedes veſtri. et requieſcite ſub arbore — Sicut in corporalibus ita et in ſpiritualibus ſuo modo ſe inuicem conſequuntur vſus aque ad ablucionem et requies in loco apto et congrua cibi confortatio ac deinceps tranſitus ad alium locum.* &c. Abrumpitur evulſis membranis in *Proverbiis.*

IV. *fol.* 30. *Incipit ſumma domini Berengarii Cardinalis Epiſcopi tuſculani. Et domipape ſummi penitentiarii.* Dedi ejusmodi *Summam Vol.* I. P. 3. *col.* 2507. At ejus initium erat: *Imprimis debet interrogare ſacerdos penitentem* &c. Contra praeſens ita ingreditur: *Quoniam circa confeſſiones animarum pericula et difficultates ſunt que emergunt, ad honorem beati nicholay ac fratrum vtilitatem atque confitencium ſalutem tractatum breuem de confeſſione compilaui ſub certis titulis* &c. Unum hic de tribus verum eſſe, oportet. Aut Librarii alterutri *Summae* falſo *Berengarii* nomen praefixerunt, aut *Berengarius* duas *Summas* diverſas edidit, aut una harum *Summarum* ad *Berengarium Fredoli* ſeniorem Ep. primum *Biterrenſem* (Beziers) dein *Tuſculanum* SS. *Nerei* et *Achillei*, mox *Job.* et *Pauli* Cardinalem pertinet, altera ad *Berengarium* juniorem prioris nepotem, Patrui tam in Cathedra *Biterr.* quam in SS. *Nerei* et *Achillei* Cardinalatu ſucceſſorem, demum vero Ep. *Portuenſem.* Duos enim fuiſſe poſt *Fel. Contelorium* et *Odor. Raynaldum* agnovere *Ughellus*, et *Galliae chriſt.* Editores T. VI. *coll.* 341. et 45. Ne quid definiam, quamvis primum ſuſpicer maxime motus mentione *beati Nicolai* et *Fratrum*, Literatorum ſilentium et Plurium Exemplarium inter ſe comparandorum defectus prohibet. Interim Noſtrum in calce repetit: *Explicit ſumma domini berengarij* &c. ut in titulo.

Fol. 1. Codicis adſcriptum eſt Ανεκδοτον, cujus facile obliti ſunt Evangeliſtae. *S. Petrus ſedebat ſuper lapidem marmoreum dolore dentium fatigatus. Veniens dominus noſter Ibeſus Chriſtus dixit: O Petre! cur triſtaris? Reſpondit Petrus et dixit: Domine, quia vermes deuorant mihi dentes meos. Reſpondit Ibeſus et dixit: Conjuro vos, Vermes! ut diſcedatis et pereatis, et nec amplius famulis Dei in ullo noceatis in nomine p.*

et